



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita Et Moribus Ioannis De Almeida Societatis Iesu Presbyteri

Macedo, António de

Romae, 1671

Liber Tertius

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44105**

## LIBER TERTIVS

## CAPVT PRIMVM.

*De Charitate in Deum, & pro-  
ximos.*



QVONIAM imitandi  
Ioannis longè maior  
nobis incumbit ne-  
cessitas, quàm de ip-  
so scribendi, legendi-  
que, operæ pretium me facturum  
puto, si virtutes, quibus maximè  
excelluit, quasi pulcherrimam re-  
ligiosi viri speciem ante oculos  
proponam, vt ad eam se confor-  
mare Societatis nostræ homines  
curent, ac illi quàm simillimos  
imitando reddere. Initium à cha-  
ritate faciam, quæ inter cæteras  
virtutes primatum habet.

Societatem ingressus nil Ioan-  
nes



nes duxit antiquius, quàm arctif-  
fimo se amoris vinculo cum Deo  
fringere; vnum ardentissimè di-  
ligere; cuncta ad ipsius honorem,  
gloriamque referre. Siue domi se  
contineret, siue prodiret in publi-  
cum, aut cum Deo erat, aut de  
Deo sermones habebat: cum ho-  
minibus verò agebat illius dum-  
taxat gratia, non animi laxandi  
causà, temporisue fallendi. Nihil  
erat in humanis, cuius voluptate,  
aut desiderio tangeretur: & perin-  
de habebat ijs prorsus carere,  
quàm supremo iure omnibus do-  
minari: præter Deum enim flocci  
omnia pendere, extra illum cun-  
cta quantacumq; hæc forent in-  
finitis sub illo abiecta spatijs spe-  
ctare, ac pro nihilo ducere. Sum-  
ma eius votorum apud Deum,  
solaque ambitio, Deum diligere,  
& in eius amoris pretium, aman-  
do crescere. Cuicumque rei ope-



ram daret, Deum semper gerebat  
 in oculis, in quo totus animo ha-  
 bitabat; quod inter homines ra-  
 ra quoque virtute præditos est  
 valde rarum. Interdiu, noctuque  
 audiebatur idemtidem repetere  
 Sanctissima IESV MARIAE no-  
 mina, quæ altè animo habebat  
 impressa; totusque ideò sic arde-  
 bat, ut corde incitatiùs palpitan-  
 te, concuteiatur corpus, & rum-  
 pendum pectus, venæque laxan-  
 dæ viderentur. Hinc ille funden-  
 di pro Christi fide sanguinis ar-  
 dor, quem continuis alebat, &  
 prodebat suspirijs: neque enim il-  
 li integrum erat affectus amoris  
 immodicos premere, & inflam-  
 mati cordis indicia inhibere. Vel  
 illo mortis genere pro IESV cu-  
 piebat oppetere, quo Ioannes  
 Soufa, & Petrus Correa nostræ  
 Societatis alumni, de quibus in  
 loco meminimus, sagittis videli-  
 cet



et à Barbaris confixus, quarum  
pennis elatus ad Beatorum sedes  
euolaret: vel in vasta aliqua Bra-  
silix solitudine, dum quærendis,  
Euangelij causâ, indigenis, sylvas  
montesque pererrat, lassitudine,  
æstu, fame, ac siti consumptus,  
abiecto ad arboris alicuius trun-  
cum corpusculo, animam exha-  
lare; quæ tam teneris, ac mollibus  
promebat verbis; vt in eundem,  
amoris sensum, & vehemēs mar-  
tyrij desiderium circumstantes im-  
pelleret.

Quo diuino æstuabat igne, eo  
proximorum corda corripere, &  
inflammare cupiebat. Multa vi-  
suntur in Colonia Sinus Ianuarij,  
vti, & in reliquis Brasiliæ Colo-  
nijs, sparsa per agros latifundia,  
& conficiendi saccari officinæ, in  
quibus Lusitani opulenti familias  
habent magnas, partim Brasilis  
indigenis, partim Aethiopibus a-  
liun-



liundè aduectis, in conficiendo  
 faccaro, quo Brasilia negotia  
 præcipuè continentur, occupatas.  
 Vilissimum id hominū genus est;  
 rude admodum, & stolidum; bel-  
 luis simile, doctrinæ, & humani-  
 tatis vix capax; cum his, ceu cum  
 filiis charissimis, agebat pater: ho-  
 rum commodis diū, noctuque ser-  
 uiebat alacriter; nihil prætermi-  
 tebat, quo illorum subleuari, siue  
 corpora, siue mentes afflictæ pos-  
 sent, quoniam pretioso Christi  
 sanguine redemptos esse sciebat,  
 & à dæmonum seruitute in liber-  
 tatem filiorum Dei assertos. Hos  
 pertinaci labore institit ad huma-  
 nitatem excolere, & Christianis  
 simul præceptionibus erudire, ne  
 suarum more regionum instar fe-  
 rarum viuerent, & in crapulam,  
 libidinemq; proiectis satanæ ma-  
 gis animis, quàm Lusitanis cor-  
 poribus seruire contingeret: tan-

tum-



tumque assiduis profecit laboribus, ut mirum videretur ex tam barbaris ante hominibus tam cultos euadere potuisse: sed nimirum Christianæ religionis hoc est, mansuefacere feros; & ex lapidibus duris Abrahæ filios excitare. Iam pudebat sine vestibibus, quod solent, conspici; iam tractare incipiebant negotia, seruare ciborum tempora; salutare se inuicem in occurso; diligenter dominis operam locare; & quod caput est, frequentare diuina officia, ieiunia, flagellationes; & hominibus Europæis nec pietatis studio, nec urbanitatis laude concedere. Amabant porro cuncti Ioannem uti parentem: audiebant, uti magistrum; venerabantur ut sanctum.

Annuntiandi Ethnicis Evangelij, eosque ab errorum suorum tenebris ad veritatis lucem perducendis miro flagrabat studio:

ne-



neque vllam suæ, vel infirmæ va-  
 letudinis, vel vltimæ senectutis  
 rationem haberi volebat, cum de  
 missionibus obeundis ad Brasiliæ  
 mediterranea agebatur. susceptis  
 quippè, animarum gratia, labori-  
 bus, integras sibi vires restitui af-  
 firmabat, & fessos artus roborari.  
 Nonnulla charitatis in proximos  
 exempla subijciam, è quibus pro-  
 num erit de reliquijs coniecturã  
 facere.

Accitus semel ad excipiendã  
 mancipij; moribundi confessionẽ  
 fuit: nec dubium quin statim ac-  
 curreret; sed morabatur interie-  
 ctum fretum, quod traicci neces-  
 se erat, nec idoneum nauigium  
 suppeditabat. Exscendenti domo  
 in littus occurrit lembus (canoã  
 dicunt) exiguus, & in quo pueri  
 se ad nauigandum exercent, ludo  
 marino aptus, traiectui prorsus  
 ineptus. Hunc ille tamen con-  
 scendit.



scendit officij memor, immemor  
periculi. Vix dum ingressos admi-  
sit, cum succubuit, ac deprimi ce-  
pit. Turbari reliqui, ac tumultua-  
ri: sed eos Ioannes confirmavit,  
ac iussit in lembo penè demerso  
considerare: ac vt procederet, man-  
cipium indigenam natatorem in-  
signem in fretum ire compulit:  
vt lembum natans è puppi in lit-  
tus aduersum impelleret. Hoc so-  
lo adminiculo vsus tenuit portū,  
in quo lembus aquis oppressus  
madidos omnes exposuit. Ardens  
tamen igne cælesti Almeida in  
magale mancipij venit: confiten-  
ti aures præbuit, piavit culpas,  
omnibus ad salutem præsidij  
muniuit; morienti adfuit; ad ex-  
tremum vsq; halitum expectans,  
vt emissum spiritum Deo com-  
mendaret, ad quem bene compa-  
ratum transmisit. Sic Ioannes lu-  
crum animæ cum periculo iactura  
ræ



ræ sui, & sociorum fecit: quòd  
sciret quã pretiosa illa merx esset

Singulos de more Brasilorum  
pagos, doctrinæ causa, percurren-  
ti aliquando euènit, vt imminen-  
te iam nocte in rusticanam pres-  
byteri cuiusdam villam diuerte-  
ret: ibi tenui iam cœna refectione,  
in cubiculum interius se recepit,  
non tam capiendę studio quietis,  
quàm vt aliquot eo tempore re-  
rum cælestium meditationi ho-  
ras tribueret: cùmq; iam ad mul-  
tam orasset noctem, sensit ancil-  
lam quandam, quæ domi erat in  
obsequio, ab hero ad turpia sol-  
licitari: graui eam ob causam do-  
lore, affectus, alienam culpam,  
sanguine proprio luere decreuit,  
nudato protinùs tergo cæpit se  
quàm acerrimè flagellis cadere,  
magnamque fundere sanguinis  
copiam, vt ardorem alienæ libi-  
dinis eo prefluuiò reslingueret.

Au-



Audiit flagellorum sonum, crepitusque plagarum sacerdos impurus, & sui causà flagitij sumptum de infonte supplicium. Ergò pudore suffusus, ad Ioannis se abiicit pedes, errati veniam petit; fluentibusque vbertim lacrymis, maculam diluit, quam peccando contraxerat: nec priùs inde surrexit, quàm Ioannes suo punire supplicio aliena peccata desineret. Ceterùm ne periclitaretur in posterùm pænitentis continentia, author illi fuit Almeida, vt ancillam domo eijceret, eamque apud honestam fæminam collocari curaret.

Rarum aliud, & inauditum, ni fallor, charitatis exemplum commemorare volo, vt religiosi præsertim viri discant nullum proferre verbum, quò aliorum fama, honorue lædatur. In pago, cui *Sancto Xauerio* nomen, cùm esset,  
acci-



accidit vt in familiari cum domesticis confabulatione, eo Socij deuenirent, vt certi hominis famam arroderent, nulla conscientia, quòd res leuis, nec occulta erat. Haud tamen id tulit Ioannes, nec distulit quin vetaret precibus: cum parum apud eos, quibus nihil pensi esse videbatur, proficeret; in genua procumbens, enixissimè rogauit, ne ire vltèrius obtrectando pergerent. Aliter visum Socijs, qui rectè factum, si culpant merentem, existimabant; itaq; maledicendo perseuerarunt. Tum visu, & dictu mirum: inflatæ Ioanni vehementiùs venæ crepuerunt, & vbertim sanguis effluxit, qui per totam se faciem diffudit, & rubore suo obtrectantes arguere visus est. Tacuere attoniti, & pudore suffusi soluere conuentum, & alij aliò concessere: stetit sanguis: & venæ ad statum



tum redierè: magno certè quanti-  
fit facienda proximorum fama,  
documento .

Et si ætate iam grauis esset, &  
morbis obnoxius, in omnem ta-  
men iuuandi proximos occasio-  
nem excubabat animo, nullamq;  
è manibus elabi sinebat. Summæ  
illi deliciae, somno se, ac cibo  
fraudare vt ad ægrotantium, &  
morientium confessiones excipi-  
endâs diu, noctuque statim accu-  
reret. Nec verò dum mitteretur,  
expectabat; sed hac in re, modera-  
torum præcurrebat nutû, sedulò  
instans, vt si quem cuiusquam ne-  
cessitas, maximè importuno vo-  
caret tempore, eum sibi quæstum  
nemo præriperet. Cumq; admo-  
neretur interdum, ne se laboribus  
enecaret: Vitam, inquit, vacuam  
caritate non amo: ingentis præte-  
rea noxæ reus fierem, si ab audi-  
endis infirmorum cōfessionibus,  
ijsque



ijſque ad benè moriendum præparandis deſiſterem, cùm in eo temporis momento ſumma rei vertatur; nec pauci, quia idoneo tum conſeſſario deſtituuntur, æternæ ſalutis iacturam faciant.

## CAPVT SECVNDVM.

*De ſtudio orandi.*

**E**ſi mentem in Deo, rerumque diuinarum cognitione deſixam perpetuò haberet: ſtatum tamen, ac certum quotidie ſeponebat tempus, quòd creptum negotijs meditationi dabat. Singulis diebus antequàm illuceſceret, quatuor ſine intermiſſione horas, totidem ante noctem conſumebat orando: quòd ſi per occupationes continentis orationis flum abrumperè cogebatur, ijs expeditus primo quoque tempore illud re-

ſu-



fumebat, continuabatque, donec  
iustum meditandi spatium confi-  
ceret. Inter faciendum Sacrum,  
tanta spiritus dulcedine perfundi  
se sentiebat, ut vix posset à sua-  
uissimis lacrymis temperare. Por-  
rò is in celebrantis facie emica-  
bat ardor, ut oculos intuentium  
fulgore præstringeret, & animos  
adorantium religione imbueret.  
Peracto Missæ sacrificio, agendis  
diuino Numini gratijs integram  
dicabat horam: duas soluendo  
quotidiè officij diuini penso. Pias  
etiam intra singulas horas assue-  
uit concipere meditatiunculas,  
ut mentis aciem ad Ecclesiasticã  
psalmodiam attentius percurren-  
dam acueret, altiùsque defigeret  
in vno Deo mentis intuitum.  
Non semel euènit ut cum in se-  
cretiori oraret loco à sensibus pe-  
nitùs abstractus, & euecto sursum,  
suspensoque in aere corpore, in



cælū animo raperetur, & terrenis rebus superior diuinæ adhæreret bonitati. In missionibus, quas frequenter obibat, vt supra vidimus, ad Brasiliæ mediterranea, solitus erat magnam noctis partem meditando consumere, somnoque detrahere, vt precibus adderet tempus: tumque maximè in noctis silentio suauissima cum Deo miscere colloquia, & cælestibus etiam gaudijs affluere. Quāquā orandi consuetudo loca iam omnia in facella verterat, quoties tamen copia dabatur, orabat in templo antè aram maximam, sanctissimamque Eucharistiam, vel in priuato Collegij sacello; haud ignarus quin Deus in sacris locis benigniùs audiret orantes. Ferè semper orabat flexis genibus; tanto spiritus ardore, vt ei cor è pectore exilire, animusque deficere videretur. Nihil ferè alicuius mo-

men-



menti aggrediebatur, nisi consulto prius, & propitiato per sacrificia, precesque Deo: tantumque meditando diuini hauriebat luminis, vt & futura prædiceret, & longè posita, ceu præsentia intueretur; nec rarò cogitationes hominum introspiceret. Familiare Iohâni fuit difficillimarum rerum intelligentiam assequi, & recondita patefacere Sacræ Scripturæ mysteria: deque fidei Christianæ articulis tam scitè, & copiosè differere, vt quamquam altioribus non esset disciplinis instructus, eximios tamen Theologos in scholis diù, multumque versatos in admirationem adduceret: cogeretque fateri, quæcumque ille sentiret, diceretue ab æternæ sapientię fonte orationis studio hausta esse. Iuuandis licet hominibus assiduam daret operam, perennè tamen agendi cum Deo consue-

K

tu-



tudinem intermittebat nunquam. Nec hominum, qui ad eum consilij causa, ventitabant, congressibus impediri se sustinebat, quominus sermones de Deo suavi quadam dexteritate infereret: venustèque exempla Sanctorum è Vitis deprompta narraret, quæ fouendæ suæ, & aliorum pietati seruirent: ijs rerum diuinarum colloquijs tantum valebat, agebatque, vt traditum legamus vix quemquam cum eo egisse, quin aut alius omninò ac venerat, aut propè alius, inde recesserit.

Simon Ribeiro Castanho, vix pius, & honestus, iuratus affirmavit, visum à se Ioannem dum sacris operaretur, à sensibus alienatum coelesti quadam nitentem pulchritudine, & facie mirum in modum radiante. Beatissimam Virginem Mariam vnicè diligebat, solitus eam summa religione



colere, & *Matrem Admirabilem*  
in omni sermone appellare, illius-  
que opem suis in laboribus, &  
periculis exposcere: ac tam indul-  
gentem Aduocatam habere, vt ni-  
hil ferè à Deo peteret, quin eius  
intercessione impetraret. Nobilis  
quidam Lusitanus vir summæ fi-  
dei, & probitatis, narrabat sæpè  
ab se repertum Ioannem in pago  
Conceptionis, in quo parochum  
diù egit, multa iam nocte submis-  
sis orantem genibus antè aram,  
templi maximam, in qua Deipa-  
ræ imago colebatur; ibique im-  
moto corpore perseuerantem;  
donèc, ingruente somno, naturæ  
necessitati paulisper cedens, humi  
procumberet: aliquando Deipa-  
ram, & Ioannem multos vltro, ci-  
troque sermones habere; & à me-  
dia ferè nocte ad lucem vsque  
familiariter inter se colloquen-  
do, tempus trahere. Archangelum



etiam Michaellem, cælestis militiæ  
Principem, studiosissimè coluit, &  
B. Iosephum, Sanctissimæ Virginis  
sponsum: secundum hos Ignatiū,  
& Xauerium, quorum vitas, ceu  
speculum, ad quod se compone-  
ret, ante oculos semper habebat.

### CAPVT TERTIVM.

*De animi submissione, & sui  
contemptu.*

**P**Rincipio maximè incubuit  
eò, vt ædificij, quod in sum-  
mum euehere perfectionis Euan-  
gelicæ culmen moliebatur, altis-  
sima iaceret fundamenta humili-  
tatis: hùc meditationes, hùc pio-  
rum lectionem librorum: hùc ser-  
mones, hùc denique curas confe-  
rebat omnes. Ita de se, suisque re-  
bus humiliter sentiebat, vt se  
mortalium omnium infimum iu-  
di-



dicaret . Nihil in sermone frequentiùs vsurpabat, quàm Londini se natum esse, regnante Elisabetha, cum maximè per Angliã grassaretur hæresis: indè profectũ in Lusitaniam vilissimi instar mediculi, omni prorsus humano subsidio destitutum : Vianæ, ( id est nobile, & opulentum in Pro- uincia Bracharensi Emporium ) à viro quodam pio, Dei amore, comiter susceptum, & in Brasiliã missum, vt viuendi sibi quæreret facultatem : ibiq; diuini Spiritus instinctu, Societatem ingressum, & innumeris à Deo beneficijs cumulatũ, de nulla re minùs, quàm de gratijs, vti par erat, ipsi Deo agendis, & de procuranda animi salute cogitasse: quos cùm ex intimo cordis sinu traheret humilitatis sensus, ad ipsos quoq; audientium animos trans mittebat: eo etiam efficacius, quòd perfe-



etiã multo in agentis manu,  
 quàm in ore dicentis expressa  
 demissio eminebat. In pauperum  
 quippè tugurijs frequens erat, vt  
 illorum seruiret commodis: nul-  
 lum loci squallorem, nullam for-  
 dium fæditatem, vt assideret be-  
 nignè miseris, refugiebat. Virorũ  
 verò nobilium domos, & aulas  
 Principum rarò, nec nisi vocatus,  
 adibat: dictitare solitus: *Quisquis  
 in aula frequens est, fermè plus  
 domum reportare de aulico, quàm  
 in aulam tulerat.* Franciscum de  
 Sotomaior Fluuij Ianuarij Præfe-  
 ctum, sui amantissimum, non nisi  
 pij alicuius negotij causà inuise-  
 re solitus: seriò affirmans se mi-  
 nimo etiam temporis momento  
 indigere, vt æternitatem lucrare-  
 tur, procul à principum familia-  
 ritate, & aulæ vsu. Ludouicus de  
 Almeida Ianuariæ item Prætor  
 Colonix, Ioannem sibi delegit

con-



confessarium : quod ille munus ,  
superiorum mandato , inuitus li-  
cet suscepit. Ceterum quia id ho-  
noris magis, quàm oneris habe-  
re videbatur, breui interiectò tē-  
pore , tantum apud Ludouicum,  
precibus, lacrymis, modisq; alijs  
instittit, vt is importunis demum  
precibus cesserit, & suam ad il-  
lius voluntatem conformare coa-  
ctus fuerit; & alteri ex Socijs lite-  
ris, & probitate conspicuo onus  
imponere.

Laicis etiam fratribus summa  
cum animi demissione obedire  
consuevit, ijsque loco cedere , &  
primas vbique tribuere , quippè  
qui se nullius inter homines no-  
minis æstimabat; opus fuit, vt ma-  
iores rei conscij, nimio se demit-  
tendi studio modum ponerēt, ne  
sacerdotis persona , quam gere-  
bat, contemptui esset; & sui des-  
picientia in iniuriam cederet pu-  
blicæ



blicæ dignitatis. Modum namque virtutes habent, ac in medio quodam versantur; quod si excedant, in vitia degenerant. In more habebat suam coco per aliquot horas operam deferre: idq; singulis ferè diebus, atq; in vilissimis culinæ ministerijs se exercere: lanceas extergere, & quicquid in usus mensæ patinarum, lebetumq; forduerat, repurgare; nec facile dictu est, quanta iubenti cū alacritate, & religione pareret; quasi in eo Dei loquentis vocem audiret. In valetudinarijs, & nosocomijs infirmorum curā gerere solitus erat, sternere lectulos, euerrere fordes, nec officia abiectiora defugere: vndecumque occasionem, & materiem abijciendi sese captare. Talem verò, tãtamq; modestiam, & submissionem necessariam esse dicebat, cū ad diabolum, superbiæ caput, debellandum; tum ad  
Dei



Dei gratiam promerendam, & hominum benevolentiam comparandam: negabat enim quemquam esse Societate Deo, ac proximis fideliter & fructuosè operam nauare posse; nisi contemptorem sui, & de se, suisque rebus humiliter sentientem.

### CAPVT QVARTVM.

*De vite asperitate, & corporis castigatione.*

**F**Vit quidem Ioannis vita absoluta vndiq; & consummata cunctis virtutum ornamento ad Euangelicam perfectionem comparatis, sed imprimis voluntaria corporis, & animi mortificatione, vt vulgò dicimus, mirabilis. Nam vbi primùm se addixit Societati, in suum seuire corpus institit, nunquam intermisso castigandi rigore, nec priùs seuiendi,

K 5      quàm



quàm viuendi finem fecit. Perpetuas agebat excubias aduersus carnis illecebras; haud ignarus intra nos esse hostem perpetuum, a quo dum viuimus tuti esse non possumus, qui eò perniciosior est, quò familiarior: eòque pugnare audaciùs, quò arma pugnanti faciliùs tribuimus, dum sè sui & voluptatibus indulgemus. Hunc sibi Ioannes hostem proposuit, quem acerrimo persequeretur bello: illius expugnandi causa, arctissima quodam modò seipsum obsidione cinxit: ferrea quippè catena sæpiùs circumducta corpori, fortiterque constricta, non sine acerbissimo sensu doloris, se cruciari didicit, Xauerij, qui id suæ ad Deum conuersionis initio præstitit, exemplo motus; & licet ob necessariam in domesticis occupationibus corporis agitationem, dirissimam vexationem sentiret, patiendi tamè

amor,



amor, suiq; ipsius odium cruciatus  
superabat; cum sibi persuaderet  
prauas animi & corporis affectio-  
nes illa quasi catena vinctas, in-  
potestate habendas. Ab inita So-  
cietate assuevit bis quotidie se  
flagellis cædere: in nudo vti erat  
vestitus, cubare solo: somnum  
verò crebris interrumpibat suspi-  
rijs, quæ in cælum, ceu amoris  
iacula, emittebat; ne illo etiam  
tempore, quod necessariae corpo-  
ris quieti impenditur, animus re-  
rum cœlestium meditatione va-  
caret. Horrenti, textoque in mo-  
dum indusij cilicio ferreis aculeis  
armato, carnem domabat. Tam  
nouas, ac multiplices se crucian-  
di artes excogitabat, vt omnes in  
eo curas, cogitationesque consu-  
mere videretur. Totius vitæ cur-  
sum ita instituit: vt singulos Lu-  
næ, Iouis, & Saturni dies ab om-  
ni cibo prorsus abstineret: Mar-



tis verò, Venerisq; simplici pane,  
 atque vbi sitis vrgebat, frigida  
 contentus esset. Ab esu carniū  
 ad multos se continuit annos. Ul-  
 terius in seipsum seuiendo proce-  
 deret, nisi currentis impetum su-  
 periorum imperium retardasset,  
 qui certas illi leges, terminosq;  
 quos nō excederet, præscripserūt.

Semel tantum, vt alijs morem  
 gereret, reti: equo nunquam vsus  
 est: perpetuò iteragendi pedibus  
 morem tenuit, siue ad audiendas  
 infirmorum confessiones per vici-  
 nos Vrbi pagos, villasque itaret;  
 siue in Prouinciæ mediterranea  
 prædicandi Euangelij causa, ad  
 multas leucas excurreret; siue ab  
 vno ad aliud collegium se trans-  
 ferret. Viatorio utebatur baculo,  
 vt affectum morbis, & senio iam  
 graue corpusculum sustineret: tā-  
 taque celeritate iter agebat pedi-  
 bus sæpè nudis, per loca diffici-  
 lia,



lia, & saxis aspera, vt Brasilos ip-  
fos itineris socios, duros alioqui  
homines, & cursu velocissimos  
longo interuallo præiret: cumq;  
ad occurrentes passim lapides of-  
fenderet, & tribuli altè infixi plā-  
tas læderent, de currendi tamen  
ardore nihil remittebat, perinde  
ac si incommoda illa, vulneraq; cal-  
caria currenti admouerent. In-  
terdum insertas pedibus ocreas  
iniectis de industria scrupulis as-  
perabat, vt hi plantas fauciarent,  
nec sine acerbo sensu doloris, cō-  
ficere viam posset. Hęc, & id ge-  
nus alia Dei famulus sui castigā-  
di corporis causā, illudq; in offi-  
cio continendi, non modo præsta-  
bat alacriter, sed in summis habe-  
bat delicijs; identidem repetēs; *A-  
cerbam sibi futurā vitā*, si vel vnus  
dies vacuus cruciatib. abijffet.

Est in Brasilia enormiū quod-  
dam culicum genus ( *marigui* ab  
inco-



incolis dicuntur) ad immanitatem  
molestum ac importunum. Solent  
hi maximam anni partem vias &  
domos obsidere, transeuntibus &  
& stantibus iuxta infesti, visu ter-  
tri, sonitu ingrati, morsu terri-  
biles: ceu bellum denuntient, pri-  
mum sibilant, mox aculeum exe-  
runt, & pungunt altè ac tenaciter:  
nec mora, nec requies: vbi insi-  
dunt, hærent, & fugunt sangui-  
nem, incredibili læsorum dolore,  
qui eos modis omnibus conantur  
abigere, ne lanienam illam patia-  
tur. Hos Almeida auidus expe-  
ctare, hilaris excipere, immo-  
tus sustinere, pertinax negligere:  
cum tamen flueret sanguis, & tu-  
mor ex morsu existeret, doloris  
vehementis signa, sed nullo sensu  
dolentis: vt cum mollis ad acci-  
piendum ictum esset, ad reddend-  
um gemitum saxeus videretur.  
Magna certè aliorum & commi-  
fera-



feratione & admiratione, qui malo suo quantus ex eo morfu doloris sensus existeret, probè nocuerant: sed Almeida animum vel contemplatione auerterat, vel patientia indurauerat.

Illius flagra pro sacris habitapignoribus, in argentea incluse-  
runt theca Almeide gentis Dynastæ, & maioratui ea lege addixerunt, vt nullo vnquam tempore ad alterius familie Principes quauis ratione transferri, vel donodari liceret. Alia afflicti corporis instrumenta, alijs cessere viris nobilibus, quorum tactu mortales innumeri depulsis repente morbis, & sanitate recepta, præsentem senserunt diuini Numinis opem.

Verùm nihil fuit antiquiùs Iohanni, quàm motus animi a ratione abhorrentes quàm maximè frangere: seq; ipsum (quod præstantif-



tiffimum victoriæ genus est ) vincere : argumento fit , quòd etiam læsus neminem vnquam facto , vel dicto læsit : quidquid sibi incommodi accideret, æquo , & imperturbato ferebat animo , idem semper, sibi que similis: nullo aduerso casu mobilis : ad eum ferè modum, quo subuectæ medio cælo nubes non sunt tempestatibus, & ventis obnoxie, quibus hæ nostræ inferiores agitantur : sed cælestem veluti naturam indutæ, cæli motus sequuntur constantes & ratos . Vt verò animo , ita & facie , quæ mentis speculum est, cælestem quamdam præferebat serenitatem, adeò vt a multis diceretur os Beati representare; nimirum vbique , ac perpetuò serenum & lætum .

CA-



CAPVT QVINTVM.

*De paupertate, & Castimonia.*

**N**on minùs enituit in Ioanne paupertatis amor, quàm animi moderatio; ex quo enim Christo in cruce confixus est, præter Christum sibi nihil reliquum fecit. Sic paupertatem amauit, nemo vt esset domi pauperior: dititare solitus cum Regio Psalte: *Quid mihi est in celo; & à te quid volui super terram? & cum B. Frãncisco Minoritarum parente: Deus meus, & omnia.* Vestitus ei vilis ac detritus erat: pallio utebatur varijs temerè affutis pannis deformato; vetusto item Breuiario. Paucos ad excolendum ingeniũ, & tuẽdam religionem libellos in cistella quadam è viminibus rudi opere contexta, domi asseruabat. Raræ cubiculi parietibus affixæ  
pen-



pendebant Sanctorum è simplici chartà imagines, fouendæ pietatis gratia, & mentis ad Superos reuocandæ. Quinetiani pia munuscula, videlicet rosaria, sacras icunculas, agnos ex cera consecratos, & id genus alia, ita non habere studuit, vt si quando ab alijs sibi offerrentur, gratû donantis animû multa humanitate collaudans, gratiæ remitteret, ne earum rerum amore ipsius animus teneretur. Nullam in nudo cubiculo habebat sellam, qua sederet: ceu militis perpetuò excubantis, ceu peregrini ad patriam properantis habitum, moremque indueret, & a cella in cælum profectioem, quotidie adornaret. Præcipuo sæper honore coluit nati in stabulo Pueri IESV mysterium, in quo summæ paupertatis, & clarissimû rerum omnium inopiæ dedit specimen, vt ab illo mortales discerent,



rent, quàm sibi cordi esset paupertas, quam ipse statim vitæ initio amplexus erat: & illius exemplo ducti caduca despicerent, & amarent æterna.

Cæterùm licet Almeida Evangelicam paupertatem vnicè diligeret, aliorum tamen inopiam, quibuscumq; poterat modis, subleuare curabat. Miserrimum quæque studiosè cõplectebatur. Multa sibi à viris pijs & opulentis donata pauperibus distribuebat: eaque ratione diuitum charitatem, fouebat, & egentium consulebat necessitatibus. Solatia & remedia ægrotis, vestimenta seminudis, alia egentibus subsidia subministrabat. Cùmq; alius non dabatur miseris benefaciendi modus, se ipsum illorum obsequio, seruitioque dicabat, & miras ad id benè præstandum excogitabat artes; maximè vt pupillis, & viduis,

om-



omni destitutis ope, victum & vestitū quæreret. Maiori curā puellarum, quarum pudicitia ob angustias rei familiaris periclitabatur, honori prospiciebat, & commodo: dabatque operam, conquisitis per Sacararias officinas eleemosynis, vt illæ constituta ex ijs dote, idoneis viris nuberent. Dicebatur iam vulgò *pauperum pater*: quo titulo gaudebat maximè, illumq; egregijs implebat, & illustrabat factis.

Par euangelicę paupertati condidit mundities fuit, & castimonia. Ab ineunte ætate didicit Deiparæ eximia religione colere, vt illius patrociniō tectus domesticum superaret hostem, & virginitatis florem ad extremum vsque spiritum custodiret illæsum. Accessit intentā sensuum omnium custodia, & insignis amor continentię, pariter cum libidinis odio coniunctus,

adeo



adeo vt minimas huius generis  
labeculas, ipsumque horreret li-  
bidinis nomen. Londini in An-  
glia, vti huius operis initio dixi-  
mus, in primo adhuc ætatis flore,  
salacis fæminæ, quæ illum deperi-  
bat, dolos elusit, & victoriam fu-  
giendo comparauit, ratus vnicam,  
certamque salutis viam, periculū  
fugam esse, eamque maturam.  
Iterum in Brasilia alterius auda-  
ciam fæminæ, quæ multis eum il-  
lecebris & lenocinijs ad turpe  
flagitium incitabat, acri obiurga-  
tione repressit. Sed cūm Satanæ  
mancipium, casto Dei timore a-  
biecto, serpentē in pectore amo-  
ris foueret flammam, sēmel præ-  
textu pij negotij Ioannem ad se  
vocari iussit, & occasione capta,  
solicitaui ad turpia: cohorrui is,  
& surrexit discessurus: illa verò  
amens apprehenso abeūtis pallio  
retinere conata ire tentando per-  
rexit.



rexit. Tum ille periculi memor,  
Iosephum Patriarcham imitatus,  
reiecto, vt liberiùs fugeret, ab  
humeris pallio, celeri se fuga do-  
mum proripuit, pallijque iactu-  
ram fecit, vt candidam innocen-  
tiæ vestem retineret.

Quam habebat cordis mundi-  
tiem, eam externo etiam corpo-  
ris habitu præferebat. Modestia  
in eo summa elucebat, quæ laten-  
tis in animo florem honestatis ex-  
plicabat: erat vultus grauitas, non  
tetrica, aut tristis, sed suauis qua-  
dam hilaritate temperata. Caue-  
bat etiam, atque etiam ne super-  
uacanea locutione, curioso ocu-  
lorum iniectu, aliove leuiori ge-  
stu, vel minimam peccati labem  
contraheret, qua purissimi can-  
dorem animi aliqua ex parte fra-  
daret. In decora item oris spe-  
cie adeo sanctitatis fulgebat co-  
lor, & quoddam Angelicæ lumen

in-



integritatis, vt intuentibus cum  
cæterarum virtutum, tum potiffi-  
mum pudicitiaæ amorem quasi af-  
flaret. Narrabant multi ita se Io-  
annis aspectu & modestia recrea-  
ri, vt speciem delapsi è cælo in ter-  
ram Angeli sibi viderentur intue-  
ri. Porrò inter multas peccandi  
illecebras, & Brasiliçæ gentis li-  
centiam, raræ virtutis fuit, ita to-  
tius vitæ cursum dirigere, vt ab  
omni incontinentiaæ labe se præ-  
stiterit prorsus immunem. Ad  
custodiendam scilicet animi, cor-  
porisque munditiem non castior  
erat, quàm cautior: auertere à fe-  
minarum aspectu oculos solitus,  
illarum vitare colloquia; ieiunia,  
aliasque vitæ asperitates adhibe-  
re, defigere prætereà in vno Deo  
mentis intuitum; nequa turpi ea-  
rum rerum, inter quas necessariò  
versabatur; specie commoueretur:  
ita in se collectus totas animi vi-  
res

res



res ad tuendam castimoniam cō-  
ferebat . Nec omittebat Sanctif-  
simæ Virginis , vt supra diximus,  
auxilium assiduò implorare, cuius  
patrocinio a carnis tentationibus  
tutum se , ac victorem fore confi-  
debat .

Cæterùm vti nullum in seipso  
næuum qui animi candorem offu-  
scaret , vnquam admisit : ita qui-  
bus cum agere consuevit , eos si-  
miles sibi, hoc est castissimos red-  
dere cupiebat: nec vllam rem ma-  
gis habebat in votis, quàm vt illi  
mentis, corporisque munditie in-  
tegritatem imitarentur Angelicâ.  
Idcirco ad huius præsertim virtutis  
studium omnes tum sermone  
tum exemplo incitabat, & idonea  
tradebat documenta, quibus im-  
puri dæmonis vitarent insidias  
nec se in obscenas effunderêt vo-  
luptates . Sæpè contigit , ( quod  
ingentis prodigij loco haberi de-  
bet)



bet) vt ex ijs nonnulli fædis, & importunis tentationibus agitati applicito corpori cilicio, quo Ioannes vtebatur, fenserint subito repressam carnis tyrannidem; depulsumque peccandi periculum; quasi illud à castissimo viri corpore virtutem traheret ad affectos etiã aliorum animos persanandos.

## CAPVT SEXTVM.

### *Eiusdem Obediencia.*

**V** Nam præ ceteris obediencie virtutem coluit eo nomine, quòd religiosæ perfectionis summam continet: & quod illius potissimum rationem haberi voluit Sanctissimus Societatis nostræ parens Ignatius. Colebat etiam obedienciam eam ob causam religiosius, quòd peculiarem

L Chri-



Christi humani generis Seruatoris virtutem esse sciebat: quam enim cæterarum virtutum formam hominibus seipsum ad imitandum proposuit; tamen singulari quodam priuilegio primas obedientiæ detulit: vltimumque vitæ actum obediendo conclusit: *Factus obediens vsque ad mortem.* Ut primùm Almeida in sacram tyrociniij palæstram intulit pedes, & acrem aduersus veterem hominem pugnam suscepit, omnem quicquam iudicandi facultatem exiit, in quo summa obedientiæ laus ponitur. Totum se ad Superiorum arbitrium finxit, Diuinum in illis numen venerans ex eorū voluntate omninò pendebat, non modò ad imperium, sed nutum intentus. Non Superioribus solum, quos Dei loco in terris habebat, sed inferioribus etiam, qui ab illis imperandi facultatem

ac-



acceperant, seruebat ea alacritate, & religione, vt apertè ostenderet Christo se magis, quàm hominibus obedire. Ad eum, huius exercitatione virtutis, euasit apicem per tres gradus ascendendo, in quos Sanctus Pater Ignatius obedientiam digerit, vt difficillima perinde, ac facillima summa perfectione obiret. Non erit ab instituto nostro alienum exemplum, aliquot commemorare, è quibus pronum erit de reliquis coniecturam facere.

Loandam, Urbem Angolæ principem, de qua in loco meminimus, Hollandi cum occupassent anno 1641. Franciscus de Sotomaior, Lusitanæ in Brasilia classis Præfectus, idoneam militum manuum nauibus eò conuehere decreuit, vt rei Lusitanæ extremo laboranti periculo subueniret. Vnum à nostræ Societatis Pro-



uinciale Sacerdotem postulauit, qui audiendis militum confessionibus, sedandis inter illos discordijs, alijsque pietatis Christianae officijs obeūdis nauaret operam; eaque ratione diuinum sibi numen placaret: neque enim nisi propitiato Deo, sperari posse de molestissimo hoste victoriam. Satis constabat illam expeditionem non minùs periculosam esse, quàm longinquam; virumque exigere Apostolico plenum spiritu, qui Præfecti votis, & Lusitanorum expectationi respōderet. Ergò Prouincialis, vt Francisco morem gereret, domi in publico Sociorum conuentu retulit, velle se vnum ex ijs ad missionem Angolanam deligere; proinde si quis ad ferendos illius labores, & iuuandos milites diuino se spiritu sentiret impelli, id palàm significaret. Tùm verò pulcherrima  
mul-



multorū ambitio se prodidit Angolanam petentium missionem: cuncti ad illam certatim dare nomina, seque vltro paratos offerre ad maris nauseam, ad famem, ad sitim, ad æstum, ad mortem, ipsam Christi amore, & animarum salutis causà tolerandam.

Omnibus tamen Almeida palmam præripuit, & Prouincialis vota alacritate præuenit. Illicò effætum corpus trahens ad illius se abiicit pedes: eamque prouinciam suis humeris imponi multis cum lacrymis postulauit: seque ad labores omnes, & ærumnas terra, marique ferendas paratissimum obtulit: nec quicquã deesse, (affirmabat ille) ad diuini Numinis instinctum, quo se iam dudum ad Angolanam expeditionē sentiebat impelli, nisi eius, quem diuinę voluntatis interpretem ducebat, imperium. Gratissi-



mum cunctis fuit flexis ante Præ-  
fidem genibus Ioannem videre,  
senio iam penè confectum, &  
morbis obrutum, lacrymas vber-  
tim fundere, & multis illam pre-  
cibus expeditionem ambire; ma-  
iore sanè animi ardore, quàm vi-  
gore corporis. Voti tamen com-  
pos non est factus: habita quippè  
vltimæ senectutis, qua grauaba-  
tur, ratione domi iussus est san-  
cto vacare otio, & obtemperandi  
studium, multaque pro Christo  
patiendi ardorem ad agendum  
cum Deo, Cælitibusque transfer-  
re. Alteri è Socijs ætate, & viribus  
firmiori illud tum fuit onus im-  
positum, qui multis postea labo-  
ribus in Angola consumptus, ex  
hac vita ad cæli patriam emigra-  
nit. Sux tamen virtutis non con-  
temnendum fructum Ioannes tu-  
lit: nam domi, forisq; & admira-  
tioni fuit vniuersis, & documêto.

Iam



Iam suo loco narrauimus, qua  
animi alacritate, Socijs, qui ade-  
rant, stupore defixis, furenti se O-  
ceano exigua canoa commiserit,  
vt ex Superiorum mandato, sub  
ipsam Ignatij parentis diem, in  
Sanctorum Collegio Sacris ad-  
esset solemnij, quod re ipsa præ-  
stitit, sedata repente procella,  
marique pacato.

Iterum vectus equo cùm rapi-  
dissimum fluuium transire vellet,  
tentandi causa vadi, præcessit, vt  
Prouinciali, qui ponè sequeba-  
tur, illumque præire iusserat, qua  
transeundum esset, ostenderet.  
Ecce tibi medio in fluuio ingens  
arboris truncus, quem radicibus  
auulsum rapidus voluebat amnis  
tanto in equum impetu incurrit,  
vt fessorem sella excusserit, præ-  
cipitemque in profundum effu-  
derit alueum: iamque vorticibus  
implicitus hauriendus videbatur



cùm repentè, addito diuina ope  
 animo, profundo emerfus fluuio,  
 ad vltiorem ripam saluus eua-  
 fit, tam sibi constans, & præsens,  
 ac si nullum prorsùs adijisset vitæ  
 periculum. Quod ille Dei bene-  
 ficium obedientiæ meritis accep-  
 tum retulit.

### CAPVT SEPTIMVM.

*Mira Ioannis post mortem virtus  
 in sanandis morbis apparet.*

**E**T si multa, eaque præclara  
 in omnibus Ioannis vitæ  
 partibus eniteant prodigia, non  
 pauca, nec obscura mortem pro-  
 ximè secuta sunt, quibus diuini  
 Numinis prouidentia famuli sui  
 sanctitatem illustrare voluit, &  
 partam in cælo gloriam, vti par  
 est credere, hominibus testatam  
 facere. Singula recensere nimis  
 ope-



operosum esset, & fastidium lectoribus afferret: quæ magis eminent referemus, ne officio deesse nostro videamur.

Immane quoddam tuber cuiusdam fæminæ oculis incumbens faciem mirum in modum deformabat, & videndi vsum impediebat; & quod periculosius erat, serpebat in singula momenta malum, nec multæ medicorum arti, remedijsque cedebat: ergò sudariolum Ioannis tinctum cruore fronti applicitum tuber confestim depulit, & videndi facultatem expeditam reddidit.

Dominicus Goncalvez Urbis Ianuariæ ciuis, membris iamdudum captus, & lecto affixus erat: & corporis morbum mentis ægritudo cumulabat: tentatis omnibus frustra remedijs, Antonius à Rosa, vir pius, & honestus, partem indufij, quo Ioannes indui



solebat, quodque is ingentis loco thesauri, domi asseruabat, contractis infirmi membris admouit: è vestigio Dominicus mentis se compotem factum sensit: nec multo post corporis sanitatem recuperavit.

Ioannes Ferreira Coutinius in eadem Vrbe Presbyter ex continuo, & copioso sanguinis fluxu in apertum venerat vitæ discrimen: exhaustis iam cum sanguine viribus, corpore deficere, animo linqui cæperat: & ex ipso oris pallore, & ex recedentium albere oculorum mors esse in limine videbatur. Itaque humana ope desperata vertere se ad diuinam Ferreiraë domestici. Linteolum, quo iacentis in feretro Ioannis facies cooperta fuerat, moribundo applicant; illius tactu stetit confestim sanguis, redijt color viuis, & vires etiam integræ  
de-



decumbenti redierunt.

Infans, *Maria* nomine, grauiori, quàm pro ætate, feбри correpta, eiusdem ope linteoli conuuluit protinùs.

Intererat aliquando Missæ sacrificio in Societatis templo *Beatrix de Aguiar*, cum subitum, passa animi deliquium, mortuæ similis in terram corruit. Ceterum ubi auulsus à capite *Almeide* capillus iacentis caput attigit, nulla interposita mora, omnem sensum usum recepit: deinde mentis compos facta, suis ipsa pedibus domum redijt.

Tam vehemens capitis dolor *Lusitanum* vexabat puerum, ut de potestate mentis sæpè deijceret. Humani inops præsidij diuinum à *Ioanne* deprecatur; vittam ipsam, quæ illius brachium ligauerat, cum extremo laborans morbo incisa vena sanguinem,

L 6

misit,



misit, cingi sibi caput curauit: eoq; adhibito remedio, depulsus est dolor, & mens etiam restituta.

Ignatio de Abreu inter edendum spina transfuersum hæsit in gutture, adeoque tenaciter, vt nulla humana ope excuti, extrahiue posset: morti iam proximus Ioannis auxilium implorauit, & Deiparæ coronam, quæ demortui contigerat corpus, de collo suspēdit. Ecce tibi faucibus auulsa in stomachum spina descendit, eaque ratione periculo explicatus Ignatius grates Ioanni referre non destitit.

Duo germani fratres non minus moribus, quàm morbis similes, diuturna languebant febris: medicamenta complura, ne quicquam experti erant: ergò Ioannis vestem sæpiùs osculantur, frontis, & pectori apprimunt non minori fiducia, quàm pietate; nec spe  
fru-



frustrantur sua, recuperata pro-  
tinus sanitate.

Ingens noxij humoris copia in  
sinistrum Antonij Corree latus  
defluerat, ibique collectum in-  
star saxi induruerat; nulla chirur-  
gorum arte ab eo, quem semel  
infederat loco, pelli poterat. Ac-  
cessit tumoris appendix dolor a-  
cerbus, cui ferendo infirmi vires  
non erant. Destiterant à curatio-  
ne chirurgi, quòd, & inutilem, &  
malo peiorem aduerterant: qua-  
re Antonius illorum destitutus  
ope, intercessorem apud Deum,  
Ioannem adhibuit, ac eius reli-  
quias affecto lateri applicauit;  
harumque virtute statim sensu  
doloris caruit, & tumor euanuit;  
nec humoris vllum, nec depulsi  
mali vestigium remansit.

Erat de mancipij Angolani sa-  
lute prorsus conclamatum: cæ-  
perant iam obrigescere pedes,  
pe-



pectus intumescere, spiritus vitæ  
 ingenti pituitæ copia obstrui: te-  
 nuis tantam cordis pulsus vitæ  
 restabat indicium. Acerbam mi-  
 feri vicem dolens Ioannes Lopez  
 de Lago, Christianæ Catechesis  
 libellum, quo Almeida dum in-  
 viuis esset, utebatur, capiti de-  
 cumbentis admouit; simulque  
 præcepit adstantibus, vt abiecti  
 in genua orationem Dominicam  
 cum Salutatione Angelica semel  
 pronuntiarent. Quam deplorata  
 salus, tam prompta pietas fuit: &  
 suus pietati fructus respondit: fi-  
 nitis precibus penè mortuum  
 reuixit: mancipium, oculos ape-  
 ruit, bene valuit.

Costa quidam Lusitanus ex  
 collecto circa digitum manus dex-  
 træ noxio humore malignum vl-  
 cus contraxerat. Periculum erat  
 ne sensim serpendo manum cor-  
 riperet, & brachium inficeret, quod

aut



aut secari necesse esset, aut neglecto mori: magna vi medicamentorum nihil profecit: itaque decretum vt amputaretur digitus, quod maxime horrebat ægrotus. Ad Ioannem igitur pro-uocauit à medicis: minori impendio salutem recepit: immitti iussit eius reliquias ossium in vas aquæ: hanc bibit; vix dum biberat, cum vlcus resedit, virus euauit, digitus ad statum redijt, & manus digitum nouit, & suum fecit.

Ludouicus Ribeiro, Franciscus Rodericius, Sebastianus Ribeiro, Franciscus Oliveira, & Iuliana de Cordoua; multique alij cum Brasili, tum Lusitani, tam cruciabantur capitis doloribus, vt nec constare sibi satis possent, nec quicquam seriò cogitare, aut facere, immani torti vertigine: Cæterum vbi se Ioannis precibus com-



commendarunt, compressus est dolor, & capitis vertigo sublata.

Quod attinet ad morborum curationes, eæ tot sunt, vt vix numerari possint: quapropter pluribus abstinemus: maximè quia ex ijs, quæ hæcenus descripsimus, facile erit de reliquis coniecturam facere.

Emanueli Ferreriæ ingens faucium tumor sic viam animæ obstruxerat, vt nisi ægerrimè spiritum ducere non posset: iam iam suffocandus videbatur: Ioannis os applicuit gutturi: peruasit ad gulam obstructam virtus; laxauit reciprocandi spiritus vias: auram liberè postea, & accepit, & reddidit.

Antonio Correx à Costa malignum vlcus cirçà ilia natum erat, tumidum, & liuidum, pureq; virulento plenum, quod eum dies multos lecto affixū tenebat, nul-

la



la spe curationis. Ergò Almeida  
reliquias sibi applicari iussit; ha-  
rumq; virtute, confestim abscef-  
sit vlcus, tenui vestigio relicto,  
quantum satis esset ad fidem cu-  
rationi faciendam.

Diuturnum, ac periculosum  
morbum, quo Didacus Coellius  
de Albuquerque confictabatur,  
is momento depulit, admoto re-  
uerenter capiti Ioannis pileolo.

Id pium, & lepidum: quidam  
è nostris Socius vitulo contractis  
tibiærum neruis, & pedibus fæ-  
dum in modum distortis nato,  
Mariæ Ribeiræ precibus indu-  
ctus, signum Crucis impressit, &  
Almeidæ opem ad illum curan-  
dum implorauit: rem miram: pau-  
lo post vitulus rectis insistere  
plantis visus est, cruribusque niti  
solidis, ac firmis: mox currere, lu-  
dere, & toto vagari, ac lasciuire  
campo cæpit, cunctis qui ade-  
rant,



rant, rei admiratione defixis.

CAPVT OCTAVVM.

*Alia alibi gesta admirabilia.*

**B**Ahiæ, carnosum tuber Sacerdoti è nostris, cui Simon Costa nomen, occupauerat occupat, & lapidis instar induruerat: ex eo periculum quod radices egerat, seque diffuderat: nec præcidi sine multarum iactura partium poterat. In arcto positus nouendiale sacrum Ioanni institit: eo peracto cum conclamatum dicerent chirurgi, mollescere tuber visum est; detumescere, donec emisso pure dimisit insolentiam, & reliquis se partibus æquabile reddidit: eoque admirationem exciuit, & pietatem erga Ioannem excitauit.

Ancillæ, cuiusdam filiola gra-

ui



ui oppressa morbo nullis poterat artis medicæ leuari subsidijs: actum de illa putabant omnes: huic Maria Bulliona fœmina Lusitana, Ioannis effigiem admoovit, & illius tactu sanitatem reddidit.

In quadam conficiendi sacchari officina *Pitanga* nomine, infans annos non amplius duos natus, morti iam proximus semel, ac iterum tactis *Almeidæ* reliquijs, mortem euasit; ita geminato beneficio viri sanctitas clariùs enituit.

In *Portu securo* (sic Lusitani appellant à tutissima nauium statione Emporium) offis cuiusdam tactus, quod ibi summa veneratione colitur, multis morbo laborantibus saluti fuit.

Spiritus Sancti Coloniam, quã Ioãnes olim multos incoluit annos, ad Superos iam translatus  
be-



beneficijs cumulare non destitit.

Illud in paucis memorabile, quod anno à Christo nato. 1658. In oppido eiusdē Coloniae nomine *Victoria* contigit. Dionisius Brauo iam destitutus a medicis non tam cum morbo, quàm cum morte luctabatur: illi quippe laxato peritonæo in scrotum intestina defluxerant, & concepto extra destinatum sibi à natura locum frigore, obriguerant. Tētatibus omnibus frustra remedijs ut suum se colligerent in sinum, mortem opperiebatur in horas: Aderat illi Collegij Societatis Rector, ut institutis ab Ecclesia precibus animam agentem iuuaret: is diuina plenus fiducia, scriptam Ioannis manu epistolam, quam apud se habebat, moribundo admouit, & Pater & Ave a lecto assidentibus attentè dici præcepit: vix orandi initium

fa-



factum, cum effusa intestina in suum se recepere locum: & ægrotus qui mortuo similis omnibus iacebat sensibus destitutus, & loquendi facultatem amiserat, reuiuiscere visus est, factusque iterum loquendi potens, liberiùs iam meante spiritu, oculos aperuit, & contenta protinus voce sanum sese, & salutem sibi à Ioanne exoritam exclamauit, uti re ipsa compertum est.

Catharinam Alurez vlcerosus cancer inuaserat, & quâ molliores & carnosiores sunt partes, se insinuans, vnam è mammis insederat. Emicabat foras per ingentem tumorem periculum, seque cum horrore prodebat: quin & respirandi potestatem miseræ ademerat; cui demùm expirandum esset, nisi Ioannes, quem inuocauerat, opem tulisset. Recessit cancer, nullo sui vestigio relicto.



262 *Lib. III. De Vita*  
licto ad securitatem.

Scrua quædam nobilis Lusitani Francisci Bullionij, in ipsomet puerperio cum morte conflictabatur: mortuus quippè illi fuerat in ytero fætus: nec is aut a parturiente eijcij, aut ab obstetrice extrahi sine præsentis discrimine poterat, quod situ transuersus erat. Octo iam dies acerbis cruciata doloribus, & inedia confecta penè a notis derelicta, propter intolerandum fætorem, quem cadauer illud emittebat, mortem habebat in visceribus: cum illius misericordia motus Rector Collegij Societatis ad eam inuisendam venit, deferens litteras Almeidae manu scriptas, easq; moribundæ applicuit. Remiram: Subitò fætum eiecit, & meliùs habere cæpit, donec breui conualuit.

Alterius pectus faminae vlcus



infecerat omnium iudicio insa-  
nabile : ulceri accessit tumor in-  
gens & febris vehemens . Chi-  
rurgus remedia nescio quæ præ-  
scripserat : vicit tamen curam  
omnem , artemque malum pro  
desperato a cunctis habitum .  
Ergo infelix Ioannem in auxiliū  
vocat, eiusque epistolam adponit  
ulceri: ac eo ipso momento tem-  
poris perfanata est .

Ad Capitis frigidi promon-  
torium Brasila fæmina è partu  
periclitans , epota frigida, quam  
Ioannis reliquæ tinxerant, nul-  
lo negotio fætum edidit .

Quidam religiosus Carmeli-  
ta, Thomasia de Lima, duæ pu-  
ellæ Lusitanæ, & complures alij  
ex omni ordine, atq; ætate mor-  
tales, varijs affecti morbis, Ioan-  
nis ope, sanitatem recuperarunt .

Ioannem Diaz. S. I. laicum,  
vehemēs, ac diuturna febris lecto

affi-



affixerat : accidit aliquando ut  
 occulto quodam spiritu motus  
 solito vehemētius salutem à Deo  
 exposceret, & Ioannis auxilium,  
 ut voti compos fieret, implora-  
 ret. In medio orationis ardore  
 audiit Almeidam clara sibi voce  
 dicentem : *Xerapim* quod Brasi-  
 licæ linguæ vocabulum, *Vis me-  
 cum venire* significat : cui in-  
 firmus, *Præsto sum, mi Pater* su-  
 bitò respondit: subiunxit Almei-  
 da : *Patienter feras morbi dolores* :  
 His dictis, diuturna febre se Io-  
 annes liberum sensit, nec multo  
 post perfectè conualuit.

Aethiopsis cuiusdam pes pu-  
 tridus, proximèque ressecandus  
 ne reliquum corpus inficeret, Io-  
 annis ope pristinae sanitati & vi-  
 sui restitutus est.

In oppido Sancti Pauli femina  
 quædam ex partus difficultate  
 deplorata, appensis ad collum  
 eius-



eiufdem Almeidae reliquijs, fa-  
cili ac felici partu fetum edidit.

Recifij ( ita vocant munitiffi-  
mam ad Pernambuco arcem )  
laborabat calculo Ioannes Men-  
doza : die quodam cum fe vehe-  
mentiùs dolores intenderent, nec  
quidquam multis adhibitis re-  
medijs de rigore remitterent, ve-  
stem, qua Ioannes viuens ute-  
batur, affecto admouit corpori :  
confestim mitigatis doloribus e-  
lecto surrexit, valetudine in po-  
fterum gaudens integra & con-  
ftanti .

Maria Cæfar, Ioannis Fernan-  
dez clariffimi Ducis coniux, Pa-  
fchalis Pereira, Ioannes Pimen-  
ta, Antonius de Silua, & per-  
multi alij Lufitani, & indigenæ  
grauibus affecti morbis, partim  
tactis Almeidae reliquijs, partim  
illius inuocato nomine, conua-  
luere protinùs .

M

Non



Non minùs enituit Ioannis virtus in liberandis energumenis, quàm in depellendis à corporibus morbis. Olindam propè femina quèdam diù, multumque a malo exagitata dæmone, sano dènum consilio Ioannis offis particulam collo sibi alligari curavit; cuius virtute effectum est, vt dæmonis confestim tyrannidem excusserit.

In pago Iguaricù ingens dæmonum turba puellam quandam arripere solita, nullum vexandi miseram finem faciebat. Solemnes non semel adhibitæ adiurationes; quarum vim hostium pertinacia, occulto Dei iudicio eludebat: saxei ad sacras induerant preces. Ignatio Societatis nostræ parenti, & Almeidæ eius filio, liberatæ puellæ decus reseruari videbatur. Itaque Collegij. S. Rector, postquam



quàm Socij multas ad Deum fuderant preces, & ipse diuinam hostiam ad aram immolauerat, Sacrum numisma Ignatij effigie expressa, & Almeidæ reliquias ad energumenæ collum amuleti loco, appendi iussit; quibus illa munita præsidijs, molestum protinus abegit hostem; & in posterum Ignatij & Ioannis tutelæ se commisit; haud ignara quantis apud Deum, & quàm propitijs intercessoribus niteretur.

Illud longe illustrius, & mirabilius Pernambuci cōtigit. Anno Salutis humanæ M.DC.LVII. Quidam optimæ indolis adolescens in Societatis gymnasio humanioribus litteris nauabat operam: huic aliquando Satan se spectandum præbuit religiosi viri habitu, grandi macie deformis, & oculis ad modestiæ normam, compositis. Ac primùm se illi o-



stendere valde benignum, & affabilem: quin etiam multa consulere, quæ speciem præ se ferebant honesti, vt ijs deceptum, facilius postea in fraudes, exitiumque induceret. Pauci abierant dies, cùm deposito religionis habitu, Aethiopis personam assumpsit; illaque studiosi oculis repente obiecta, Satanam se prodidit. Exinde detracta iam larua comparere specie varia; inculcare passim turpia: nullam quietis partem misero concedere. Horrendis sæpè illum visis perterrere vt exanimaret; & a cõtemplatione cœlestium ad curam & tutelam sui abduceret. Semel ei per ingentem terræ hiatus vastam & profundam ostendit foueam; flammis, fumoque fætido vndantem: partem scilicet inferorum, in qua volui vidit certos quosdam homines sibi no-

tos,



tos, flagitijs famosos, qui tum  
in Brasilia viuebant, specie hor-  
ribili damnationem præferen-  
te: quo perculsus spectaculo ve-  
hementer cohorrui: sed, vti so-  
lebat, cum in eiusmodi ostenta  
incideret, magistrum spiritus a-  
dijt, & visi participem & timo-  
ris fecit: qui vt erat imprimis  
cautus, & probè nouerat quàm  
timeret demon Ignatij Societatis  
nostræ parentis nomen; & quàm  
tum rebus miris per Brasiliam  
gestis Almeida clarus esset; di-  
uino, vt euentus docuit, instin-  
ctu motus, consuluit adolescēti,  
vt illorum nomina inuocaret, &  
pileolum, quo Ioannes viuens  
vsus fuerat, præ manibus tene-  
ret, cum ipsum hostis inuaderet:  
quibus ille munitus armis sic ab  
se abegit Satanam, vt nunquam  
se illi quandiū vixit, spectandum  
dederit.



Plures certè menses huiusmo-  
 di Satanam inter & studiosum  
 pugna tenuit; quam illustris Cæ-  
 litum apparitio paucis post die-  
 bus clariorem reddidit. Nam  
 cùm domi orationi vacaret ado-  
 lescens, cælo repentè delapsi af-  
 fuere multa nitentes luce Igna-  
 tius & Almeida, qui orantem  
 iucundo intuitu, mirèque bene-  
 uolo solati, videri desierunt. Rur-  
 sum die xxvi. Augusti insequen-  
 tis Anni M. DC. LVIII. cum Mis-  
 sæ Sacrificio interesset in Socie-  
 tatis templo, eosdem vidit Cæli-  
 tes instar Solis confulgentes: &  
 Almeida ita ipsum est allocutus:  
*Vt quæ tibi euenerunt hætenus, ea  
 apud omnes certam fidem faciant,  
 tuum ne moreris adire magistrum,  
 illiquè meo significabis nomine, in  
 cubiculo P. Rectoris bursam exho-  
 loserico asseruari, quæ corporis mei  
 particulam continet recenti adhuc*

im-



*imbutam cruore*. Hæc dixit, & cælo cum Ignatio receptus, templo afflauit diuinam fragrantiam. Adolescens verò illa Beatorum specie mirificè recreatus, Magistrum confestim adiit, eumque de re tota certiozem fecit: qui adhibita statim diligentia, comperit ita se rem prorsus habere, ac Ioannes dixerat. Affecit hic casus ingenti admiratione vniuersam Pernambucæ Coloniam: multumque Ioannis famæ & sanctitatis gloriæ adiecit; vtpotè qui Ignatio solemnibus Ecclesiæ ritibus inter Cælites iam relato, comes additus apparuit adolescenti clarissima circumfusus luce, eumque iuuit sui ope pileoli ad tartareas fugandas potestates: quo satis constitit multum apud Deum gratia & auctoritate valere; filiūque proximè secundum parentem Ignatium esse apud superos,

&c



& plurimum inter nos posse.

Et quidem de Vita & gestis Almeidae hactenus. Hic quasi in termino longae confectae viae positi oculos ad decursum spatium reflectentes, quae ad lectorum profectum facere possunt breui periodo colligamus. En Almeida qui ex Anglia in Lusitaniam diuina prouidentia missus, & heresis periculis explicatus, doctrinam fidei & morum alieno in solo hausit: adultus Societatem iniit, eiusque instituti rationes ritè seruauit: studijs operam dedit; & ijs absolutis, sacris initatus communi animorum saluti ex officio vacauit. Remotā ac barbaram gentem longe ab Europa excoluit, non minùs documentis, quàm moribus. Domi perfectus, foris utilis: sibi intentus, alijs inuigilans: maioribus curis Deo impensis, cæteris in  
pro-



proximos deriuatis : rationem  
sui imprimis habuit ; aliorum  
non neglexit : obiuit religionis  
munia , conuersionis exercuit :  
virtutibus iuxtà , & rebus mirè  
gestis clarus . Vitam illibatam  
sancta mors excepit , quam exi-  
mia est fama consecuta , pigno-  
re immortalis gloriæ , qua piè  
credendum apud Deum frui, re-  
lictò . Eius ego memoriam cu-  
stodire , & propagare scribendo  
studui, vt cum illius gloriæ, tum  
nostræ vtilitati seruirem ; quo-  
rum alterum si minus consequi  
per inelegantiam styli potui ; al-  
terum propter narrationem re-  
rum consequi me spero: ea quip-  
pè sola species exempli obiecta  
oculis legentium , sine vllis ille-  
cebris, lenocinijsque eloquentiæ  
ad imitationem tum domesticos,  
tum externos inuitabit, qui mihi  
præter Dei Opt. Max. gloriam,  
quam



quam præ oculis habere Ignatij  
 filij debemus, palmarius & præ-  
 cipuus est in hac scriptione finis  
 propositus: quo certè obtento,  
 iustam, imò & vberem laboris  
 impensi in scribendo mei merce-  
 dem accipiam; quàm in lucro  
 ponam ad noua in publi-  
 cam vtilitatem fœnora  
 exercenda.

F I N I S.

---

<i>Errata</i>	<i>Corrige.</i>
Folio 3. ad	ac.
fol. 7. morabitur	morabatur.
fol. 13. turpidine	turpitudine.
fol. 57. Dea	Deo
fol. 94. partes	patres.